



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Burdigalensis n. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

expeditius, & vtile. Et quia hæc sic esse cognoscimus, & testimonium veritati exhibere merito debemus, idcirco in præmissorum fidem, & testimonium præsentis nostras literas excudi fieri, & per Notarium publicum subscribi; sigillique Rectoratus dictæ Vniuersitatis iussimus & fecimus appensione communiri. Dat. Louanij anno à Natiuitate 1556. Secunda Ianuarij. *Sic Par. 1. Hist. Soc. lib. 10. n. 105.*

2. A PARISIENSI SORBONICA, Cuius Vniuersitatis Doctores aliqui ubi legissent Olauij nostri dissertationem, seu Orationem pro Societate, quanquam piam magis, quam fortem dicebant; neque tam probari decretum ipsorum falsum, quam Societatis homines innocentes: quasi verò possit esse noxia Schola, que discipulos creat innocios: plurimi tamen fatebantur, Nunquam ita fuisse decreturos (exilium scilicet Societatis à Gallia) si talia cognouissent. Nec quicquam postea mouerunt, imò quadragesimo post anno, in grauissimis temporibus, procellisque, quibus iactabatur in eo Regno Societas, pronunciauit Facultas Theologica, retinendam eam esse in Gallia. Tantum aberat, vt iam prioris sententiæ, qua perniciosam pronunciauerat, meminisset. *Ita Ibid. lib. 15. n. 62.*

Doctorem
Parisen-
sium longo
post tempo-
re senten-
tia pro So-
cietate.

Que hono-
ratur ex
filijs.

3. AB INGOLSTADIENSI, Cuius Cancellarius Doctoresque omnes, de Societate, cuius in tribus omnino hominibus ipsa penitus Instituta perspexerant, ita denique censuerunt. Nuper quantam lætitiã ceperimus omnes ex aduentu trium Theologorum Claudij Iaij, Alfonsi Salmeronis, & Petri Canisij, vix dici potest: quorum præsentia non solum famam de ipsis excitatam non minuit, sed etiam auget: quorum singularis in Sacrosanctis studijs scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitæ expectationem omnium, eamque maximam, non solum æquat, verum etiam superat. *Hæc apud Imag. 1. sec. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 670.*

Ij pietatis,
ac doctrinæ
antesigna-
ni, & Ec-
clesiæ Chri-
stianæ vera
columna.

4. A BURDEGALENSI Appellante Societatis Patres, Pietatis, & doctrinæ Antesignanos, & vera Ecclesiæ Christianæ Columna. *Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 418. Omittere sane non potui hoc breue quidem, sed Illustre encomium: non leue id quidem,*

quidem, sed ad longissimam Societatis commendationem sensu, & verbo benignissime comparatum.

5. * A CONIMBRICENSI: *Que cum à Serenissimo Ioan. III. Portugallie Rege fuisset interrogata, quid de Societatis hominibus sentiret, perhonorificum, satisq; longum dedit testimoniū: quod inter alia multa sic se habet. Primo testatur Vniuersitas, Societatis homines virtuti deditos, modestos, humiles, deuotos, ac de Republica Christiana benemerentes, exemplo vitæ splendentes. Testatur insuper non tantum Conimbricæ Ciuitati, sed toti Regno magnos, & vberes fructus ex vita, exemplo, ac salutari huius Societatis doctrina peruenisse: Africam, & Indiam summa velocitate eius filios percurrisse, vbi illi sua exemplari vita, ac ædificatione virtutes plantant, vitia extirpant. Ob quæ (et alia multa, quæ ibi referuntur) sentit, ac testatur Vniuersitas hanc Societatem honore summo recipiendam, omnique veneratione fouendam, vtpote quæ miraculosè Instituta est, à Deoque Orbi Vniuerso tam calamitosi temporibus concessa, &c. Hoc fuit doctissima Vniuersitatis de socijs, ac Societate iudicium: quod Lusitano idiomate satisque diffuso habetur apud P. Tellez in Chronico Hist. Soc. Lusitane Par. 2. lib. 6. fol. 16.*

Perhonorificum de illis testimonium.